

Q.K.  
366,  
14.

II h  
10

*Quod Deus felix faustumq; esse jubeat!*

DE

X 186 1226

# CHARACTERI- BUS GENTIUM.

in illustri Academia

VVittebergenfi,

*Sub Præsidio*

M. Gottlieb Bernsdorffs

Schönwald. Sax.

*publicè disputabit*

CHRISTIANUS Schildknecht

Luccaviâ Lusatus.

*d. VI. Julii MDCXCII.*

*H. L. Q. C.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHII.

10







## J. N. J. A.

### §. I.



Characteris vocem græcam esse, & à verbo *χαράσσειν* vel *χαράττειν* (quod sculpere Latinis notat) derivari neminem Græcæ linguæ peritum fugit, ut adeò non sit, cur in evolvenda ejus etymologia operosam industriam collocemus. Ac primò quidem Character, nativo vocis usu, signū aliquod sculptura impressum; tum v. generaliori notione, quamcunque notam, quocunque modò, & quibuscunque rebus, inditam injectamque significat. Hinc notas, quibus signantur pecudes, characteres appellat *Palladius Lib. II. de Re Rust. tit. 16.* Dicendi quoque genera sententiarum elocutionis, & compositionis variè diversæ, (de quibus brevem quidem, sed Vossii Sen. judicio, planè aureunt libellum Demetrius quidam conscripsit,) Characteres Rhetoribus appellantur. *Rhet. Instit. L. V. c. 4.* Etsi nonnunquam hoc sensu strictiùs capiatur, nec dialectos solùm linguarum, sed ipsam quoque styli rationem, quam sibi quisque propriam facit scribens, quaque ab aliis dignosci potest, significet. Deniq;, ut cæteras nunc omittamus significationes, characterum nomine frequenter veniunt virtutum ac vitiorum, ex concomitantibus, ac iis tantùm non propriis actibus, tantà cum gravitate factæ descriptiones, ut velut ideam quandam virtutis illius, aut vitii sistere videantur. Talem ostentatoris pecuniosi Autor *Rhet. ad Heren.* Rustici severi, frugi, suspiciosi, & blanditias averfantis Terent. *Andr. Act. III. sc. 3.* parasiti egregii *Eunuch. Act. II. sc. 2.* otiosà garrulitate molesti *Horat. L. I. 9.* exhibent. Nos verò, quemadmodum gentium nomine, non familias, sed populos, intelligimus; ita pro ratione instituti Characteres dicimus varias earundem qualitates, inclinationes, ac mores, ex aeris, solique natalis, & aliarum causarum influxu natos, quibus illæ, ceu notis quibusdam à natura impressis, ab se invicem distinguuntur.

A 2

§. II. Non

§. II.

Non enim perinde ut omnes æquali nascendi sorte gaudent, eandem quoque temperamentorum naturam eadem ingenia homines fortiuntur. Magnum hic datur morum pariter & animorum discrimen, magna diversitas. Aliter affectæ sunt gentes ad Orientem natæ, vel sub Austro calentes, aliter ad Occidentis plagas vel etiam ultimos Septentrionum angulos rejectæ. Diversa sunt populorum ingenia, qui Zonas temperatas, quas vocant, incolunt, ab eorum indole & naturâ, qui vel torridam, vel frigidarum utramque inhabitant. Quamquam ne sic quidem mores hominum, qui vel unâ terrarum Orbis parte, vel etiam unius ejusdemque provinciæ finibus continentur, ita consentiunt invicem & conspirant, ut pro regionum varietate non differant. Namq; id experientia, magistra rerum fidissima, confirmat, quæ ingens discrimen Græcorum à Germanis, Belgarum ab Italis, Æthiopum à Scythis quotidie nobis ostendit. Nec est, quòd ita longe abeamus, regionesq; ac terras usq; adeò procul à se distitas comparemus, cum unius ejusdemq; regni populos multum inclinatione ac geniò differre, accurati rerum æstimatores dudum perspexerint. Namq; si diversa ingenia Bavarorum, Svevorum, Francorum, Misnensium, Cattorum, Saxonum, reliquorumq; per Germaniam longè lateq; habitantium populorum expendimus, quis non videt multum eos differre inter se, non solum facie, ac habitudine corporis, sed & virtutibus animi ac vitiis? Gallos ab Hispanis soli Pyrenæi montes dividunt, indole, institutis ac moribus, (quos eleganti oratione *Grammondus* exprimit *L. I. H. Gall.*) ita ab se invicem sejunctos, ut *Motbius L. I. OO. de contrar. humor.* non ineptè dixerit: Gallum meliùs accuratiusq; definiri non posse, quam inversum Hispanum. Quin Athenienses, Spartanos, Bœotios una quondam Græcia finibus suis continebat, sed linguâ, studiis, ingenio, moribus diversissimos, ut immane illud inclinationum discrimen non parùm ad intestinos illorum tumultus contulisse videatur. Imò illam morum diversitatem iis quoq; solennem esse videmus, qui vix una eâq; ipsâ breviusculâ leucâ ab se invicem sunt sejuncti. Quod quidem si *Huartus Scrut. Ing. c. IV.* fidem superare rectè putat, quis non cum *Plutarcho* miretur, in una Atheniensium urbe, tres aliquando factiones de commutando statu Reip. extitisse?

§. III.

Atq; hæc quidem Characterum diversitas ab ingenti locorum varietate magnam partem dependere videtur. Si quis enim orbem terrarum  
 univer-

universum, ac gentium quibus incolitur, discrimina perpendat, fateatur necesse est, ingenia hominum à situ sedeq; regionis quodammodo formari, & pro locorum ratione mutari, deniq; cuilibet regioni proprium quasi spiritum, seu indolem ac genium adnatum esse.

#### §. IV.

Enimverò, qui frigidam inhabitant Orbis Zonas, quemadmodum exigui sunt ac debiles, & à frigoribus perinde adusti, ut australes à calore; sic timidi admodum sunt ac depressi, ad bonas æquè ac malas actiones inepti ac simplices. Corporum vis ac robor est in gentibus versus utrumq; Polum, animorum verò ad australem plagam. Qui inter utramq; regionem interjacent, & ea loca, quæ propter caloris ac frigoris temperationem, ad vitam beatiùs salubriusq; degendam idonea, fortuntur, mediocres quoq; habent corporis animiq; dotes, ita ut mediæ regionis populi plus habeant animorum, minus tamen roboris, quàm qui septentrionales, sed corporibus sint validiores, quàm australes, à quibus ingenio quidem, non tamen animorum vi ac fortitudine superantur. *Vid. Bodinus L. V. de Rep. c. I. Claramontius* tamen homines, qui regionem violento æstu torridam incolunt, ob cutem porosq; contractos, indeq; impeditum humoris insitiq; caloris effluxum, non minùs animosos ac fortes esse pronuntiat, quàm Europæos, quibus hac parte non Africamq; torridam incolentes, sed Asiatici homines, exemplò Aristotelis, sint opponendi, idq; allatò Brasiliæ exemplò, quos Maffæus iræ ac libidinis æquè impotentes, ad pugnas & certamina temerarios, & humani sanguinis avidissimos esse testetur, confirmat, *L. II. de conject. hom. mor. c. I. §. 3.* Quicquid hujus sit, constat inter omnes, quamlibet regionem, quò magis vel ad Austrum, vel ad Septentriones inclinât, eò præstantiores vel animi, vel corporis robore, producere homines. Quod minime ignorant Hispani, qui, cum ferè omnium Europæ populorum à Septentrionibus longissimè sint remoti, prudentiæ laudem ac principatum inter eos sibi vendicant *Priolo teste L. IX. c. 6. H. Gall.* idq; ingenti suo damno Gallos, quoties in fœderum pactorumq; consortia cum Hispanis descenderint expertos fuisse *Bodinus queritur l. cit.* Gallos verò, uti actionum celeritate, & expeditioribus consiliis Germanos vincere negari non potest; ita virtute corporis, animiq; & magnitudine & constantiâ cedere illis, res ipsa loquitur. Quanquam verò gentibus, ad Septentriones rejectis, plus roboris & animi, quàm acuminis & ingenii inesse Bodino largiamur, à tarditate tamen hujus, ad quandam mentis stupiditatē, & à magnitudine irarū, ad sævæ crudelitatis notam concludere ipsi non licuit.

In quo

In quò, ut mollissimè dicam, suo ergà Germanam gentem odio aliquid indulfit Idem, quam non solùm ad Septentrionum populos rejicit (eodè sc. jure, quò *Cæsar* Galliam sub Septentrionibus positam esse dixit *L. I. de B. G.*) sed & utriusq; hujus vitii manifestè incusat. Quòd si Germanos inter illi pro stupidis sunt habendi, qui repurgatà per *D. Lutherum* religione, desertis alioquin Romanorum ritibus, statuas nihilominùs in templis retinuerunt, quasi ea, quæ cernunt, pro numine habeant, solòq; sensu, bestiarum in morem ad id ferantur, quod adest; videat quò pactò Gallos suos, Romanorum rituum & εἰκονολατρείας tenacissimos (ut de cæteris taceam) ab eadem stoliditate absolvat. Grombachii autem supplicium, quò illam de Germanorum crudelitate sententiam demonstrari posse *Bodino* visum est, Augusto Saxoni verè augusto, cui clementiæ ac bonitatis laudem ne hostes quidè sui denegârunt, haud magis vitio verti potest, quam *Ravaillaci* aut *Conchini* Gallorum regibus. Qualitas enim vindictæ sequitur naturam sceleris, quod, quia in *Grombachio*, parricidii, majestatis ac perduellionis reo, non simplex erat, sed varium, atrociori quoq; suppliciò luendum fuit. Cæterùm si crudelitatis exemplis certandum sit, dubito an ulla alia regio, vel plura, vel etiam atrociora suppeditare queat, quàm illa suâ sibi comitate adeò placens Gallia. Mitto *Conchini* cædem, in cujus tractando cadavere omnem penè humanitatis sensum exuisse videtur *Parisiensis* populus, vera nobis retulit *Grammondus L. I. H. G.*: sola testimonii locò prodeat feralis laniena *Sup. Sec. An. 72.* quò tempore datis ad Pontificè Rex literis, tridui spatio se plus 60000 hominum interfecisse gloriatus est, facinore indigno nomine Gallicò, & quod *Sequana* non abluat suis undis, domestic scriptoris *Benj. Prioli* iudicio *L. I. c. 20.* Quod si illi crudeles censi sunt, qui homines profanos ac pestilentes atrocib; poenis coercent; quâ tandem titulorum infamia notandi reges erunt, qui homines innocentissimos, nulliusq; criminis convictos, junctâ crudelitati perfidiâ, plus quàm barbarâ immanitate vexârunt? Vid. *Sleid. L. XXV. Thuanus L. LII. Perefixius in Vita Henrici IV. &c. Egid. Strauchius in continuat. Sleid. Epit. Const. Aletroph. Verfolgter Protestant. &c.*

§. V.

Sed, ut illuc revertamur, unde patriæ gentis amor, & defendendæ ejus imposita quæd. necessitas nos avocavit: si gentes secundum *IV. Orbis* partes consideremus, Europæ reliquis corporum pariter & animorum laudibus antecellere videntur. Sunt enim ingenio temperatò, facie decorâ, membris compactis, eminenti staturâ, virtute spectatâ, & in  
subeun-

subeundis periculis imperterritâ. Inde Soldanus Ægypti Rex, spectatô  
Francorum robore, (quô nomine Asiatici & Africani Europæos univer-  
sim appellant teste *Lans. Orat. pro Germ.*) Deorum penè locô habuit, di-  
gnos ratus, qui totius terrarum orbis imperiô potirentur, *Franckius  
Chron. Germ. p. 144.* Quod verò de parte Europæ Græciâ dixit Cicero  
*Orat. pro Flacco*: Famâ nempe, gloriâ, doctrinâ, præclaris artibus, im-  
perii etiam ac bellica laude floruisse, illam, id quò minus totis ac universæ  
tribui posuit, non multa obstare video. Ab animi certè magnitudine  
ac singulari virtute semper laudati fuerunt, quos Europa dedit homines,  
& quoties ferè vel cum Afris, vel cum Asiaticis congressos & de summa  
rerum dimicâsse legimus, toties victos superatosque esse invenimus, *Da-  
rius* ex Asia in Europam exercitu trajectô à *Scythis*; idem ab *Atheniensibus*  
in campo *Marathonio*, *Miltiadis*; & ad *Plateas* *Pausania* ductu di-  
victus est. *Xerxes* Filius ad *Salaminem* *Themistoclis*; *Artaxerxes* in *Hermi*  
*Campis* *Agefilas*; *Darius* denique ultimus ad *Jssum* & *Arbelam* *Alex. M.*  
auspiciis victus est. Eandem fortunam subiere *Antiochus M.* & *Carthago*  
Romanorum virtutem exitiô suo experti. Vid. *Nepos*, *Justinus*, *Curtius* *Dio-  
dorus Siculus* aliiq;. Itaq; Alexander Molossus decreto in Romanos bello se  
in Italiam ire quasi in ἀνδεγνίτην, propinquum Macedonem ivisse ad Persas  
quasi in γυριακονίτην dicebat ap. *Gell. N. A. L. XVII, c. 21.* Germanorum  
verò quanta virtus, quantumque robur fuerit, inde patet, quòd olim  
non modò Pannoniis, Bohemis, Polonis ac Danis, sed ipsis etiam Italis,  
gentium aliàs domitoribus leges præscripserint, affirmante Fraxineo Re-  
gis Galliæ in Germaniâ legato ap. *Steidanum L. XXIV. p. 773.* quorsum  
conferri meretur *H. Conring. Pref. in Polit. Arist.* Id tamen hoc loco  
prætereundum non est, quòd, etsi tantum non omnes Europæ populi  
suâ quâdam indole & naturâ ad militiam duci videantur, eandem tamen  
pugnandi rationem non omnes sustineant. Germani enim ac Helvetii  
pugnâ stataria prævalent: Galli vicissim velitationibus & equestri. Jam  
olim in bello Africano equites minus XXX Galli, quod incredibile di-  
ctu, Maurorum equitum, alioquin in eo militiæ genere excellentium,  
IIM in fugâ totum conjecerunt teste *Hirtio de B. Afric.* Unde *Fuentius Co-  
mes*, Hispanorum Dux in Belgio, summam inde gloriam sibi vindicavit  
quòd Anno 95 sup. sec. propè solus cunctis formidabilem equitatum Gal-  
licum devicisset, annotante *Botereo L. II. Comment. Gall. p. 71.* Neque  
verò solùm virtute reliquos terrarum populos superant Europæi, sed men-  
tis etiam acumine ac inveniendi felicitate haudquaquam cedunt. Athe-  
nas communem Eloquentiæ patriam *Justinus L. V. 9.* & doctrinarum o-  
mnium

manium inventrices Tullius salutat *L.I. de Orat.* inque illam gloriæ partem universam Græcorum gentem venire patitur *Orat. pro Flacco.* Quas artes à Græcis acceptas, ac velut per coloniam ad se traductas, Romani primò, mox reliquæ per Europam diffusæ gentes insigni studio coluerunt, nec minorem suam, in augendis acceptis, quàm illorum, in tradendis novis, felicitatem ingenii esse prodiderunt. Pristinam verò Germanorum rudicitatem, quam notat *Tacitus*, neglectæ disciplinæ non indolis fuisse vitium præter literarum felicem culturam ac instaurationem typographiæ, pulveris pyrii, aliarumque machinarum pulcherrima inventio satis evidenter ostendit. *Vid. J.C. Scalig. de Subtil. Ex. XCIX.* Asiatici autem homines, quemadmodum uberi foecundoque solo plerique nascuntur; ita otio & luxuriâ ferè diffluunt, quietiori vitæ ac contemplationum studio intenti: Nec Afri tam rerum gestarum gloria vel ingenio, quàm perfidia & collectis vitiorum sortibus celebrantur. *Conf. omninò Salvianus L.VII. de Gubernat. Dei,* pessimos Afrorum mores graviter persecutus.

#### §. VI.

Atque hi quidem communiore, magisque per orbem diffusi sunt characteres: instituti nunc ratio postulare, ut moribus cuique genti propriis in scenam quasi productis, quid à quaque vel timendum vel expectandum sit, poneremus. Sed quoniam istud à viris eruditissimis *Claramontio* in primis *l. cit. L. II. Barclajo in Icon. anim. Neubusio Theat. Ing. hum. capp. 12. 13. 14.* prolixâ & eleganti operâ præstitum esse scimus, in recensendis illorum judiciis nobis nunc disertis esse non licet. Ne tamen omninò hanc partem neglexisse videamur celeberrimi *Viri Joach. Camerarii* verbis, in *Arithmologia* sua singulas singularum gentium mores nervosâ brevitate complexi, velut in compendio exhibebimus: Germani, *inquit*, bellatores, simplices, benefici sunt. Ex his a. Francica natio simplicior, & magis rustica, ac vehemens habetur. Bavarica sumptuosa, conviviis operam dans, procax. Svevica levis, loqvax, gloriosa. Misnensis, magnifica, locuples, speciosa. Thuringicâ diffidens, attenta ad parva quoque, contentiosa. Saxones dissimulatores, versuti, cõrumaces. Accolæ Rheni sup. frugi, aperti, hospitaes, Helvetica conjurata, aspera, armentaria. Belgica equestris, delicata, tenera. Itali superbi, cupidi vindictæ, ingeniosi. Hispani despectores, consulti, rapaces. Galli præditi elegantibus corporibus, intemperantes, temerarii. Cimbri magni, seditiosi, horribiles. Britannii turbulenti, negotiatores, laboriosi. Sarmatæ edaces, superbi fures. Bohemi inhumani, novarum rerum studiosi, ad agendas prædas donei. Illyrici sive Vandali mobiles, maligni, tumultuatores. Pannoni

nes



mes asperi victus, cum solo aureo superstitioni. Græca natio, qualis nunc est misera. *Hactenus Camerarius*. Cujus præclaro judicio si quid deest, ex diligenti historiarum lectione facili poterit suppleri negotio. Namq; ut *Claramontius* non ineptè animadvertit *L. II. §. 3.* mores nationū ex observationibus deprehendere satius est, quam ex combinatione causarum. Quanquam autem nimis audacter *Brochmandus* scribat: experiētiā ipsā comprobari, non alia hodie esse ingenia, aut mores, populorum terras cujusq; suas habitantium, & aliunde advectorum, quàm olim in iisdem terris eorum, de quibus veteres scriptores nobis testatum reliquerint *Spec. Hist. c. 1. p. 39.*; vetustos tamen mores hodiernis maximam partem respondere, negari omninò nequit. Enimverò (ut huic sententiæ vel unius populi exemplò fidem faciamus:) Gallicam nationem ut iræ impotentem, natam in vanos tumultus, ad tedium laboris longæq; viæ sustinendum mollem, & cui omnis in impetu vis sit, *Cæsar, Livius, Florus* aliq; describunt. Quos si quis cum hodiernis Gallorum moribus, quos *Comineus, Thuanus, Botereus, Grammondus, Firmianus, Priolus* domestici scriptores, passim exponunt, contulerit, næ is ne latum quidem ungvem à majorum suorum studiis recessisse fatebitur. Neq; verò hic levitatis vitium, quod veteres æquè ac recentiores in illa gente notant, in gratiam *Bodini* excipiendum, vel in virtute ponendum est. Namque ut omittam, quòd Gallos eòdem sensu, quo Cicero Græcos, perfidiæ convictos, hòc titulo insignivit, leves appellari posse largitur, historiarum quoque monumenta, non subditorum modò, (de quibus decem millia crimen falsi Annò sexcentisimò ineunte confessos fuisse compertum est,) sed ipsorum quoque Regum continuatam penè perfidiam ac levitatem exponunt. Ut adeò sæpiùs in mentē veniat mirari, quid causæ fuerit *J. C. Scaligero*, summi aliàs judicii Viro, ut Gallos omnium gentium atque nationum fide maximè integrâ & constanti esse assereret *l. cit. Ex. 167.* *Bodinum* verò nimiã potiùs gentis suæ admiratione, quàm studiò veritatis in eam sententiam deductum, eoque nomine *Lansio Orat. c. Gall. & τῷ Ἰαυμασίῳ Thomasio Præf. Acad. Disp. LVI.* jure meritoq; notatum fuisse existimamus.

### §. VII.

Sed nisi declinationum orbis, ac regnorum discrimine, ad qualitates terræ, solique natalis conditionem animos applicemus, quorum considerationem, præ ratione climatum, & naturaliore & constantiore esse affirmat *Claramont. l. c.* Non enim, inquit *Cic. pro L. Agr.* ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis & seminis, quàm ex his rebus, quæ ab ipsa naturâ loci & vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur &

B

vivimus



vivimus. Quò pacto *Q. Curtius* de Indis loquens scribit, quòd ingenia hominum, sicut ubiq; , sic apud illos quoque locorum situs formet. L. VIII. Soli enim natalis asperitas tellurisque durities animos quoque asperos, durosque ac intractabiles producit. Montana loca dant homines corporibus validis, membrisque compactis, virosque armis tractandis idoneos, ac tantum non à natura ad militiam factos. Viarum enim & natalis soli difficultatibus, inde ab incunabulis aevi, ubi adoleverunt, nulla itinerum rædia fugiunt, perpetuisque laboribus obducto quasi callò, ab ipsis militiae vires sumunt animosque molestiis. Hinc etsi Germana gens quòdam naturæ beneficiò ad pugnam statariam apta esse videatur, tantò tamen hos Helvetii ac Rhati fortitudine antecedant, quantò virtute suà Germani superant alias nationes. Quin Abessini quoque montana incolentes, robore corporis, quòd sanè mireris, insigni, viri æquè ac mulieres, pollent, & laborum patientissimi in transeundis rupibus non facillè lassantur. *Ludolf. in H. Æthiop. c. XIV.* Fertilitas verò soli, terræque bonitas incolas dat ut plurimum effœminatos ac molles, desides etiam, inque omnem luxuriam solutos. Non enim quæ terra vinum reliquosque fructus generosos producit, eadem & homines. Africæ portio Mauritania, vix quicquam illustre sortita, solò, quàm viris, melior est *ap. P. Melam L. I. c. 5. de S. O.* Asia tam opima est atque fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine passionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facillè omnibus terris antecellat. *Cic. Orat. pro Lig.* Sed tota illa regio inaniora parit ingenia *narrante Livio L. XLV.* quæque fertilis & opima Tullio dicitur, eadem imbellis Mithridati appellatur apud *Justinum L. XXXVIII. c. 4.* Fertilitatem enim illam tanta secuta est animorum corruptio atque luxuries, ut Asiatica mollities abiret in proverbium, ac speciatim apud Persas summa laus esset fortiter venari luxuriosè vivere *Nep. in Alcib.* Quòd tamen, quomodo cum Mart. Delrione, qui *Disquisit. Mag. XXV.* Persas summâ victus pareitate uti, eandemque propter necessitate nec emungi, ex Xenophontis Pædià memorat, conciliare possim, non video. Quicquid hujus sit, copiam frugum luxuries, luxuriam animorum corporumque mollities, excipit, cujus deinde vitio depressi homines, (quòd de *Chinensibus affirmat Neubus. c. XIV. l. c.*) beatæ pacis studiosi ad militiam nec animos habent nec vires. Quanquam Persarum Medorumque fortitudinem, si quæ fuit, à voluptatum deliciarumque studio, & Reip. Atheniensis florem ab ejusd. luxu & lasciviâ repetere audeat *Athenæus L. XII. Deipnosoph.* Quòd quidem hoc magis à veritate recedit, quòd manifestius est ubertatem fructuum cœliq; indulgentiam, fortis-

simos

simos sæpè viros in effœminatos ac molles convertisse. Hannibal certè,  
tot tantarumque gentium victor, ubi cum exercitu Campaniæ plagam,  
non solùm Italiã, sed totò terrarum orbe (*Flori* iudicio L. I c. 16.) pulcherrimam,  
venisset, positus ad Capuam castris, luxu atq; otio victus est. Eleganter  
hac de re, more suò, *Tullius* disserit *pro L. Agr.* Ligures, inquit, montani,  
duri atq; agrestes: docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa culturã, &  
multò labore quæsitum. Campani superbi bonitate agrorum, & fructuum  
multitudine, urbis salubritate, descriptionum pulcritudine. Ex hac copia  
atq; rerum omnium affluentia primùm illa nata sunt: Arrogantia, quæ  
à majorib; nostris alterum Capuæ consulem postulavit. Deinde ea luxuries,  
quæ ipsum etiam Hannibalem, armis tum invictum, voluptate vicit.  
Scilicet, ubi voluptatum non desunt adminicula, frugalitati locus relictus  
esse nequit, ingenitò mortalibus vitio, ut, cum luxuriosè vivere possunt,  
temperantes esse nolint. Sterilitas contrà terræ non homines modò fru-  
galitatem virtutemq; docet, sed animos quoq; excitat ad excolendas ar-  
tes & literas, ut sæpè ex paupertate soli suas ingenia divitias traxisse vide-  
antur. Namque id sine controversia verum est, inquit *Huartus Scrut. Ing.*  
p. 431. non modò in bona Philosophia naturali, sed & in experientia, quòd  
regiones macilentæ ac steriles, haud fructiferæ, aut frugibus abundantes,  
producant homines insigniter ingeniosos atqve subriles. In Græcia ad  
nauseam usq; prædicant Historiographi, quòd ea sit regio generandis ho-  
minibus insigni habilitate instructis velut apta nata; ac speciatim refert  
*Galenus*, quòd Athenis hominem stupidum nasci pro prodigio sit, cum  
tamen interim constet, Atheniense solum totius Græciæ miserrimum ste-  
rilissimumq; fuisse. *Hactenus Huartus.* Sed quid longinqua exempla ar-  
cessere opus est, cum in ipsa patria ejusmodi offendamus? Arenosò ste-  
riliq; solò Norimbergam sitam esse, quis adeò terrarum hospes est, qui ig-  
noret? Ast, quoniam sterilitatem terræ industria civium virtusq; supplet,  
excellentiissimos in omni genere artifices peperit, ut ferè, quod aliis inge-  
nium in capite residet, histotum in manibus positum esse videatur. In  
udo autem ac paludoso patriæ solo, ut corpora hominum fluxa & ampla  
sunt; sic animos gerunt obtusos, & inertia desidiãq; torpentes. Quapro-  
pter Belgas, terram lacubus, æstuariisq; incisam habitantes, candida quidè,  
sed veluti cœli vitiò depressa ingenia habere *Barclajus* commemorat l. c.  
Gentes Insularum incolæ, feroces quodammodò sunt, & ad seditiones tur-  
basq; pronæ, strictiorisq; domini præ reliquis impatientes. Aliàs om-

nes insulanos malos esse per proverbium dicitur: neq; id de plerisq; ve-  
rum esse inficiabitur temerè, qui quidè historiaram monumenta accura-  
riùs contulerit. Cretenses mendaciis & ignaviâ: Corsi sceleribus & per-  
fidiâ: Siculi seditionibus ac turbis infames sunt. Britannorum neminem  
esse bonum suò jam tempore *Ausonius* memorat *Epigr. CVII*. In quo ta-  
men artis, quam profitebatur, privilegiò, liberiori sermone usus est, suos  
intra limites coercendò. Nam si Bodino, qui expertum se loqui scribit,  
credendum est, hodiè diuturnâ pace sic colunt humanitatem Angli, ut ni-  
hil urbanius aut mitius fieri possit. Nescio tamen, an huic respondeat li-  
bertatis violenta, & sæpè cum injuria Regum suorum conjuncta propu-  
gnatio, ob quam Anglos alicujus in reges suos sævitix non immeritò ac-  
cusare videtur Maria Scotica *ap. Cambdenum P. III. Hist. Elis.* Quod restat  
maritimæ gentes feroces plerumq; sunt & ad res suas attentæ, indeq; peri-  
culorum atq; imperii morosi contemptores, fraudulentis etiâ & mendaces,  
non genere tamen, sed naturâ loci, quòd multis mercatorum sermonibus  
ad studium fallendi studiò quæstus vocari solent. *Conf. Cic. pro L. Agrar.*  
& *Salvianus l. cit.*

### §. VIII.

Sed & coeli, aerisqve conditio, siderumqve vis ac influxus, magnum  
ad impellendos hominum animos, formandosq; mores momentum affert.  
Qui mitiori cœlò gaudent, mitiores sunt his, qui horridò ac pluvioso  
utuntur.

Quicquid ad Eos tractum mundi que teporem

Labitur, emollit mores clementia cœli. *Lucan. L. 1.*

Cujus rei memorabile exemplum in Abessinibus videre est, qui, ut *Tellesius L.*  
*l. c. 15.* & ex eo *Ludolfus c. XIV. H. Æthiop.* memorat, facillè remittunt in-  
jurias, rixas non facillè concitant, concitatas colaphis & verberibus fini-  
unt, gladiò judice rarissimè transigunt, æquitati & justitiæ naturaliter de-  
diti. Ast

Omnis in Arctoïis populus quicunque pruinis

Nascitur, indomitus bellis & mortis amator.

Ex qua ego animorum disparitate ortum crediderim, quod & Oriens lon-  
gò ante Septentrionum & Occidentis imperii tempora dominos regesq;  
assumpsit, & præter adstrictius imperiù aliud ferre non potest: Helvetii au-  
tem, Belgæ, & omnes in universum Europæ gentes, (si à Gallis discesseris)  
dominationem perosæ, aut nullo, vel leni admodum imperiò tractari cu-  
piunt.

piunt. Porro quæ in formandis hominum moribus aeris vires sint, *Cicero explicat L. I. de Nat. Deor.* Licet, inquit, videre acutiora ingenia eorum, qui terras incolunt eas, quibus aer sit purus ac tenuis, quam illorum, qui crassô utuntur cœlo. Quô ipso Bœotiorum forsân gentem respexit, cujus ruditatis causa in aeris crassitudine *ab Horat. L. II. Ep. I.* (ut de aliis taceam) manifestè rejicitur. At homines in montibus Misnensium metaliferis versantes, præ reliquis ingenii felicitate & acumine pollere dicit *Albinus Comment. Misn. p. 610.* idque inspectantibus tot stupendas metalla & mineralia tractandi machinas res ipsa confirmat. Neq; tamen hujus propiorem dari causam posse crediderim, quàm aerem, qui in montanis purissimus subtilissimusque hauritur. Si quis tamen locorum istorum sterilitate ingenii vires provocari existimare malit, morosè non repugnvero. *Conf. Claromont. L. c. L. II. c. 3. §. 4.* Illud saltem hœc locô prætereundum non est, quòd insanam potandi libidinem, quam non modò in Germanis, sed omnibus etiam versus Septentriones populis notari passim videas, ab aere frigido & sicco pariter oriri cum Bodino plerique putent, quanquam hic in accurata ejus demonstratione non omninò constare sibi videatur. Quantum ad planetas, in concitanda flavâ bile Martem; in melancholia Saturnû; in pituita Luram, in sanguine Solem ac Jovem efficaciter se exercere creditur *Vid. Bodinus & Neub. II. cit.*

## IX.

Illud autem forsân non præter rem fuerit adduxisse, quò pactò mores ac inclinationes animorum dictionis sermonisque ratio in gentibus non rarò imitetur. Multum sanè interest Davusne loquatur an herus, Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis. Nam qui magnificè vivunt ac splendidè, iidem eleganter ornateque dicunt, quiq; austeris sunt moribus atque asperis, horridò etiam dicendi genere utuntur. Telluris in Asiâ ubertatem secuta verborum copia, tumidumque ac inflatum dicendi genus est, quod ipsi Rhodiorû legati in sua ad S. P. Q. R. oratione negare non potuerunt *ap. Liv. L. XLV.* Athenienses quondam non splendore solùm ac dignitate vitæ, omnes Græciæ populos, sed dicendi etiam peritiâ superabant. Hinc suum à Græci sermonis elegantia commendaturus Pomponium Nepos, ita eum Græcè locutû fuisse refert, ut Athenis natus videretur. *In Vita* ejus. Bœotiorum a. populus, uti posthabita mentis ingeniique culturâ gloriam omnem in robore corporis ac firmitate membrorum collocabat, sic dicere nescius vix disertos dare vi-

ros

ros poterat, nedum eloquentes. *Conf. Nep. in vita Epam. & Pelop.* Lacedemonii verò, quam in cultu & victu parsimoniam amabant, eadem utebantur loquentes, in sermonibus rotundi ac breves, multaq; sensa paucis exponere & complecti verbis gaudentes. Atque, ut priscis illis recentiora jungamus, de Misnicæ gentis nitore ac elegantia in vita moribus ac institutis constat inter omnes, ac ita quidem constat, ut vulgato illi proverbio *Meißner/ Gleißner/ ansam causamq; præbuerit teste Albino l. c.* Hanc vero dignitatem vitæ ac decus haud minor sequitur vernaculi sermonis cultura, quem tantâ commoditate faciunt Misnici, ut regula velut reliquarum per Germaniâ, habeatur ipsorum dialectus, digna fanè, quæ principatum obtineat inter omnes, virisq; summis ac eruditis unice æstimetur.

### X.

Observetur a. ultimò ea, quæ hactenus de characteribus gentium dicta fuerunt, ad singulas earum personas temerè pertrahenda non esse. Invenias in populis fortissimis ac bellicosissimis vecordes multos ac timidos: in gentibus immanitate barbaris humanos quospiam ac prudentes: in natione stupiditatis notâ infami, acuti sæpè ingenii homines ac subtilis. Neq; enim hæc universalis est regula, *inquit Huartius l. c.* omnes qui in Græcia nascuntur necessariò & rectè temperatos & sapientes esse, ac contrà reliquos extra Græciam universos & in temperatos & stupidos nasci. De Anacharsi n. ex Scythia oriundo refert ipse Galenus (in Orat. svasoria) eum, licet barbarus fuerit, tamen admirabili inter Græcos ingenio polluisse. Cum quo cum rixaretur aliquando alius quispiam Philosophus, Athenis natus, eiq; diceret: redi in barbariam tuam, respondit ei Anacharsis: Patria mihi dedecori est, tu verò patriæ. Singulis enim mortalibus præter patriæ suæ indolem proprium aliquid natura concessit, quod, uti ex peculiaribus causis oritur, sic nisi ex earum collatione demonstrari non potest. *Conf. Neuh. & Barclaj, ll. cit.*

### XI.

Deniq; præteriri non debet expositos hactenus diversarium gentium characteres & notas, minimè esse perpetuas aut æternas, sed mutationibus suis, perinde ut humana omnia, subjectas. Quemadmodum enim omnia ferè secula genium habent, qui unius ejusdemq; gentis homi-

homines in certa studia solet inflectere, ut nunc præcipuè arma tractent, mox literis faveant, nunc humanitate excellant, mox velut in barbariam nascantur; sic naturales illas animorum inclinationes repetitis gentium migrationibus, deductionibus coloniarum, expeditionibus bellicis, atq; exinde non rarò natis populorum commistionibus, nationum item commerciis, & mutata victus ratione, insignes subiisse mutationes docuit nos *Excellentissimus noster Rærensee in Praelect. publ. Prud. Rector*. Ac hominum quidem migrationibus olim in alias atq; alias regiones progressorum mentes animosq; mutatos fuisse quis miretur, cum plantas mutatò cœlo genium quoq; mutare suum quotidie videamus? Poma Persica apud *Columellam* L. X. de R. R. quæ barbara Persis.

Miserat ut fama est patriis armata venenis

Ambrosios (in Italia) præbent succos oblita nocendi.

Ac Gallos quidem, qui Asiam incolebant, quanquam cum reliquis in Europa relictis originem & virtutem eandem habuerint, longiori tamen, ac difficili versus Asiam è patria itinere, & cœli calidioris naturam majorem quandam sagacitatem prudentiamq; contraxisse, *Justinus* L. XXXVIII. mox a copiâ rerum omnium saginatos uberrimò agrò, mitissimò cœlo, clementibus accolarum ingeniis, omnem illam, cum qua venerant, feritatem deposuisse *Livius* L. XXXVIII. commemorat. Porro frequenti cum exteris commerciò peregrini mores cum peregrinis mercibus sæpenumerò invehuntur. Neque enim facile fieri potest, ubi gentes ac nationes miscentur invicem ac conversantur, quin, quod de Ubiis *Cæsar*. scribit L. IV. de B. G., alter ex alterius consuetudine ac usu sensim paulatimque aliquid trahat, suumq; faciat, & ad posteros transmittat. Leonidas Cleomenis Spartani filius longam cum Scythis consuetudine barbaram potandi libidinem imbibit, eandemque à vicinis Saxonibus Bohemos didicisse *Dubravius* asserit L. I. *Hist. Bobem*. Macedones Persarum, inter quos versabantur, luxuriam & libidines: Romani Asiaticorum, quos devicerant, ignaviam didicerunt. Victus autem ratio in commutandis hominum animis quantum possit, ne Nervii quidem olim aut Svevi, barbaræ alioqui gentes, ignorarunt, qui mercatores omni ad se aditu prohibebant, nihil vini, reliquarumq; rerum ad luxuriam pertinentium invehiri patiebantur, quòd his rebus relangvescere animos eorumq; remitti virtutem existimabant *Cæsar* L. II. & IV. de B. G. A quorum institutis cum longè hodie recesserit natio Germanorum, quid mirum si *Priolus* L. II. *H. Gall.*, inclinationem quandam in ejus opibus, robore, ac ferè animis, factam fuisse, summò ipsius

ipſius dedecore affirmat? Nec illi forſan ineptiunt, qui creſcente noſtro-  
rum luxurie corporum decreviſſe robur, & cum peregrinis acutiſſimisq;  
aromatibus, Germaniæ quondam ignotis, peregrinas ardentibus febres, &  
acutiſſima morborum genera inveſta fuiſſe opinantur. *Vid. Herm. Con-  
ring. de cauſis mut. habitus corp. German.* Quò minus diſciplinæ ac edu-  
cationis ratio in hominibus eſt omittenda, quæ prout vel neglecta fuit vel  
adhibita, eos vel meliores vel deteriores relinquit. Excitatiſſima enim &  
acutiſſima quondã Græcorum ingenia hebeſcunt nunc ſenſim, non ſitus  
mutati vitiò, ſed inopiã culturæ, inquit *Huartus*. Septentrionum verò  
populi immites quondã, ac barbari, depoſita feritate, mitescere cœperunt,  
ubi Germanorum reges, non ſecus ac olim Romanorum Impp. Hispanos,  
(*ap. Juſtinum L. XLIV.*) perdomito orbe, victricia ad illos arma tranſtu-  
lerunt, eoſque religione ac legibus ad cultiorem vitæ uſum & conſuetu-  
dinem traduxerunt. conf. celeberr: *Dn. Schurzſt. Diſput. de rebus Pruſſ.  
& Pomer.* Nemo itaque de connata ad virtutem aptitudine deſperet,  
aut naturam quippiam ad inveniendam laudem negaſſe ſibi arbitretur.  
Quod ſi patriæ, aeris cœlique ac ſiderum malignitate aliquid adhæret in-  
genio, quod emendationem mereatur, diligenti culturâ ſupplendum eſt,  
videndumq; , ut cum Socrate (*ap. Cic. III. Tuſc.*) connata nobis vitia  
virtute ac indiſtriã corrigamus.



VOT





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

